

Alte Drucke

**ACTVS MAGISTRORVM PHILO-||SOPHIAE DVO:|| Continentes ||
ORATIONES,|| DE ANIMARVM || PESTIBVS, QVIBVS INNVMERI
|| HOMINES OMNIBVS SECVLIS INFECTI || ...**

Müller, Veit

Frankfurt/Oder, 1598

VD16 ZV 27218

ORATIO DE PESTIBVS ANIMARVM QVAE EXINTERNUS CAVSIS RESVLTANT,
RECITATA 10. AVGVSTI, ANno 1597.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149783

DE PESTIBVS ANI- MARVM QVÆ EX INTERNIS CAVSIS RESULTANT, RECITA- TA IO. AVGVSTIAN-

NO 1597.

PRÆSENTIBVS

Augusto Duce Lunæburg.
Ioh. Frid. Duce VVirtemberg.
Maximiliano Pappenheimio.
Heinrico Landauio.

Roximis Magisterij Philosophici comitijs, ex præstantissimis philosophis, Platone, Aristotele, Ludouico Viue, actum est de animi morbis contagiosis, qui ab alijs in alios per conuictum & conuersationem, serpunt: consequens iam est, vt etiam de ijs dicatur venenis, quæ ex ipsa hominis natura intima resultant; & non minus, quam præcedentia, hominis literati functiones honestissimas plurimum impediunt, à Deo auertunt, animumque cum corporibus perdunt.

Quoniam vero prædicta animi mala (contra quàm cum corporis cruciatibus comparatum est,) interdum diu ab homine, quem occuparunt, non sentiuntur, neque venena esse animaduertuntur: Priore loco, paulo accuratius naturam & conditiones eorum, expendendas & excutiendas sumemus.

Deinde, qua ratione obuiam eundum sit: ne illis obnoxij reddamur: Deo iuuante, explicabimus.

Principio,

Principio, neminem nostrum latet, quanta bona & dona Christus noster dulcissimus, in totum mortalium genus contulerit: dum (vt reliqua omnia taceamus) nos è potestate Diaboli ad regnum patris, per proprium sanguinem reduxit.

Fuisset certe longe ipsi facilius, mille mundana systemata, cum creaturis omnibus nouis, è nihilo producere, quam vel vnum hominem ad prædictum modum redimere.

At clementissimus Deus infinitam misericordiam suam nobis testatissimam facere volens, delegit & assumpsit remedium id, quo nullum vel in cœlo, vel in terra, comparatu difficilius fuit.

Hæc clementia obuijs vlnis à nobis omnibus amplectenda erat, subinde perpendenda, mentisque nostræ cogitatus grati, singulis horarum momentis, per vitæ dies explicandi.

Verum, quid multi faciant: multis hætenus experimentis, multis in locis, multorum cum damno vt dicetur, cognouimus.

Plæriq; .n. nō agnoscunt, agnoscetes ex parte non serio expendant: qui notitiā satis explicatam habent, ingrati sunt. Quidam etiam co immanitatis deueniunt: vt pro beneficijs illis diuinis nunquam satis ab omnibus vni, nedum ab vno omnibus exhibitis satis animo excussis, non modo non gratos sese declarent: sed etiam Deo exprobrent, maledicant & blasphement, in ignominiam Dei, & incommoda proximi, illa omnia benefacta maxima conuertentes.

Morbus hic inter omnes alios corporis & animi periculosissimos, pessimus est: quando homo finis sui principalis oblitus, Dei auxilium sibi ipsi præscindit, abijcit, omnibusque benefactis se indignissimum reddit, ac cœcis etiam gentibus, extra Ecclesiam, longe deterior euadit.

Et si enim præci Ethnicorum saniores Philosophi, illorum quæ salutem nostram æternam continent, Christi benemeritorum notitiam nullam habuerunt: Impietatem tamen & im-

manitatem summo conatu fugiendam esse, sedulo homines suos hortati sunt.

Eam ob causam Philosophus noster, cum in alijs, tum 7. in Moralium, eiusmodi vitia horrenda obiter tantum attingit: cum persuasus fuerit, neminem hominem facile, nisi plane barbarus sit, in id mali extremi delabi posse.

Plato in Alcibiade primo diligenter pramonet: & in Theogæ, ea dere, ut eleganter, ita copiose disserit; ac præ omnibus alijs, vel visibilibus vel invisibilibus creaturis, indefesso studio & accuratissima diligentia, Deum colendum, honorandum, laudandumque præcipit.

Rationes ibi affert validas, dicens: alioqui futurum, ut infra conditionem animalium brutorum descendamus: id quod certe à multis, ab eo tempore, ad nostram memoriam factum est.

Non adducemus exempla profanorum & impiorum extra Ecclesiam hominum: Cambyſis, Xerxis, Pheracydis, Syri, Prothigoræ, Mezentij, Syluij Romuli, Heliogabali, Luciani, Neronis, aliorumque: ipſo in populo, quem primogenitum & Regale sacerdotium Dominus appellavit, infinita exempla sunt.

Per Ieremiam conquestus est Dominus: Ciconia in coelo cognovit tempus suum, & Turtur & grus & hirundo observant tempus aduentus sui: Populus autem Domini non novit iudicium Iehouah.

Idem Esaias pronunciat. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem non cognovit, & populus meus non intellexit.

Vtinam, Christe sancte, inter Christianos, tales non reperirentur, qui Christiani dicuntur, non amore pietatis, aut professione vitæ: sed tantum velut quodam cognomine, cum nati sint inter Christianos, haud aliter, quam si dicerentur vel Romani vel Carthaginenses vel Scipiones; tam facile, tã libenter cuius

cuiusvis superstitionis & impij Deorum cultus futuri, quam sanctæ Religionis nostræ sectatores.

Ad prædicta mala maxima, hoc etiam accedit, quod ab impietate reliqui omnes animi morbi, tanquã à fonte, profluunt. Nullum enim quocunque exprimatur nomine vel vitium, vel flagitium est, quod impietas secum non trahat. Quantus vero vitiorum numerus sit, cogitationibus comprehendere non possumus.

Mundi saluator illos homines, qui in vita circa externa occupati, in cultu numinis diuini deficiunt, cum ijs confert, qui ædificantes arenam pro fundamento ponunt, cætera omnia frustra superædificantes, & ruinam magnam facientes.

Alij multi sunt, qui etsi Deum pie pro meritis colendum censent: quia tamen modo id illegitimo & à Deo per plurima eaque seuerissima mandata, interdicto, faciunt: non minus prædictis peccant: præsertim cum horrendis & abominandis rebus diuinos honores tribuerint. Non erit nobis sermo de Idolomania multiplici gentium (qui naturæ horrenda, ipsum etiam Cacodæmonem, hostem omnium infensissimum & perpetuum, pro Deo vero adorarunt: id quod de Phania quodam & Trebellio Bulgaro, de Indis, alijsque, memoria celebratur) sanctissimus Dei populus, quem quasi peculium Deus ex omni natione sibi delegerat, mirandum in modum deliquit. Et in ipso illo populo non vulgares & imperiti: sed sanctissimi quique (quod de Aarone & Solomone scribitur) transgressi sunt.

Et hic animi morbus grauissimus est, hacque vel maxime de causa: quod & legamus & experiamur, eos, qui affectu hoc impliciti tenentur, rarissime ad salutis viam reuocari posse: vt agnita & abiecta superstitione, ad salutes Dei colendi rationes deueniant.

Quanta vero mala affectus dent quorum agitationes incitatissimæ sunt, dum mentis decreta anteuertunt, & ex homine

belluam faciunt atrocissimam, & immanissimam, eiusque animum mirandum in modum exasperant: quotidie singulisque horis, fit testatissimum apud plerosque in quouis ordine homines.

Homo, inquit Philosophus, si affectibus sese permittat, animal euadit superbum, ferox, impotens, vltionis audum, plures rationes ac vias excogitat, tum ad animi libidinem explendam tam ad persequendam & vindicandam, quam ipse interpretatur, iniuriam.

Ceteris in mundo calamitatibus, siue communes illæ sint multorum, siue priuata aliquorum: Magnates, & qui priuilegijs gaudent, subduci possunt. Pestis tempore alio sese recipiunt: bello moto munitionibus sese cingunt. Vt contra vim hominum iniquorum tati sint: satellites & ministros sibi adiungunt: ne aliorum potestati & dominio, ipsi liberi cum sint, subiciantur. Hinc alij libertatis causa, magnam pecuniæ vim expendunt: alij durissima queque, in ortem etiam ipsam (quod de Bruto & Cassio scribitur) subeunt & sustinen.

Vtinam erga affectus eodem modo animati essemus quibus ceteræ etiam liberæ personæ famulantur miserrime.

Hæc enim secundum Viuem nostrum, vna est libertas: vt velis animo libero viuere, h. e. animi vitijs vacare, & importunissimis tyrannis, animi motibus ac cupiditatibus, non inservire, quæ sola est seruitus: vt nec Reges ipsi: quemadmodum de Caligula, Nerone et alijs plurimis, legimus, dici possint liberi, quādiu his occupantur et indulgent. Hi enim soluti non alligantur lege, nec vehementiar impetus retardatur. Potentissimus fuit Solomon: sed famulus affectuum: Alexandro illi Philippi filio, nemo resistere potuit. Iracundiæ, cæterorumque motuum affectus ipsum totum sapissime vicit: vt sui oblitus, Deus esse qui voluit, ad abiectissima sese demiserit.

Ea de causa Alexander ipsemet hunc fortissimum iudicauit, qui

qui

qui sibi ipsi, id est, animi affectibus improbis, resistere & dominari posset. Pro sua & patria libertate & commodis depugnarunt diutissime & fortissime ij, qui Romani Imperij primi authores fuerunt: affectibus vero non ita vehementibus succumbentes, semetipsos, cum suis, in extrema pericula precipitarunt. Audimus saepe pro Concionibus, legimus & annotauimus ipsi, quid sanctissimis Dei hominibus ab affectibus periculorum, quouis tempore, & imminuerit & obuenerit.

Apud nos non coniecturis potius quàm tristissimis experimentis, quotidie id declaratur. Maxima hominum pars, carnis pondere pressa, ad ima humanorum deiicitur. Quemadmodum enim difficilime, qui onusti sunt ærumnis alijsue rebus, cliuū adscendunt: ita qui affectibus precipites rapiuntur, in honestatis rationibus pergere, aut nunquam, aut difficulter, possunt.

Causa horum intima cui ignota est, sequentia percipiat. In primi hominis formatione, rerum omnium conditor, mente ac voluntate instruxit hominem: illa veritatem coelestem & humanam quæque bona sunt, cognouit: hac vero vtrunque prædictorum amplexus est.

At post ruinam illam miserandam & tristissimam, vtraque hominis facultas mirandum in modum deprauata & deperdita est, per coecam ignorantiam, & cupiditatem insatiabilem, quæ infinita mala inuexerūt: vt inter millevix reperiantur duo, qui idem de eodem sentiant: ideoque vix umbra & imago præcedentis cognitionis & voluntatis remanserit: plures tamen in hanc, quam illam, imbecillitates cadunt.

Qua de causa, rationi appetitus quiesce, & tantum, quæ vera & bona sunt, expetere debebat; dominium in Rationem affectat, quæque ipsi iucunda & grata sunt (honestis postpositis) summo conatu & studio expetit & prosequitur. Hinc perpetua Rationis & Appetitus pugna: vt homo non modo alijs, sed etiam sibi ipsi contrarietur, ambiens diuitias, honores, voluptates, ceteraque, quæ maxime nocitura sunt. Hinc sanctorum
Dei

Dei hominum & querelæ, & actiones improbæ multiplices. Quemadmodum enim in dissensione civili nemo meliori auscultat, sed potentiiori: ita in dissensione affectuum nullus iustiori paret: sed valentiori, appetitui scilicet, qui sui iuris vniuersum facit animum.

Quod si quis præter expectationem, ijs, quæ hæcenus dicta sunt, ob generalitatem minus fidei adhibere velit, specialius dicenda percipiat. Si animo consideremus malevolentiam: Inter Christianos etiam & literatos, sæpe (vt doctissimus Viues vere scripsit) odiorum & inimicitiarum tanta est acerbitas, & tam cœca rabies: vt ea multi mortales perciti, atque acti præcipites dubitent in se ac alios pessime consulere: atque in eas voragine, se, ac suos omnes, vel votis ac desiderijs, vel etiam, quatenus possint, re ac opera, conijcere: vnde nunquam deinceps emergant. Oprant alij non vnius aut alterius hominis eadem atque interitum, nec inimicitias inimicis concludunt: sed ciuitatum, populorum, nationum, gentium, cladem, læti ac libentes spectarent. Alij nouationibus rerum student: & cuperent non modo Magistratum mutatum: sed Turcam, aut alium impium Regem, & à nostra pietate, non tantum vita & actionibus: sed nomine quoque & professione pietatis, abhorrentem, præfici, ad quam tam impiam & nefariam animi libidinem varijs, varijs de causis, cum primis inuidia, rapiuntur. Inuidia, inquit philosophus, ex superbia oritur, quæ maxima mala affert homini. Nam qui odit, qui irascitur, qui mæret, qui timet, qui amat: affectum suum audet retegere: Vnde maxima animi cordisq; alleuiatio sequitur. Qui autem inuidet, comprimit animi sui miseriam: vnde magna corpori accidunt incommoda: Pallor, liuiditas, macies, oculi profundi, aspectus obliquus & degener. Leonum generositas decliuis nunquam aspicit, & sic se aspici fert indigne. Quapropter in animo maleuoli, interperies & furie tumultuantur, clausæ & cohibitæ: cui nullum potest esse tormentum par. Recte ergo, illi inuidiam dixerunt iustissi-

A CAUSIS INTERNIS.

inistissimam: quippe quæ inuidenti sit meritum supplicium. Delectantur invidi maledicentia & carpunt quicquid proximus vel dicit vel agit, ut notam aliquam inurant, aut maculam aspergant, & quæ recta sunt, in peiorem partem detorqueant.

Quod si vero quis iracundia infestetur, ille quasi furijs agitur & exercetur: ut nil consilio, nil ratione, nil cogitatione, vel suscipere, vel agere, possit: quod de Aiace & L. Sylla in Puteolanum quendam exandescendo, & ob id mortem obeunte, scribitur, sunt enim illi homines similes ijs secundum Philosophum nostrum qui equis insident furiosis. Quemadmodum illi rapiuntur, præter voluntatem, ad pericula maxima, ubi de vita metus est: ita iracundi vitæ tempus sibi ipsis, triste & inamœnum reddunt, alijsque quibus cum versantur, haud parum nocent.

Occupabatur illo animi morbo primus statim ex coniunctione naturali natus homo, fratrem occidens: & post illum alij innumeri. Vita communis nostræ cursus & status rerum præsens plura de hoc dicere vetat: omnibus notissimus & pestilentissimus animi morbus est ob oculos singulorum, fere quotidie, versans.

Non minus, quam præcedentia animi pathemata, hominē afficit Melancholia. Omnia enim etiam ea, quæ natura metuenda minime sunt, facit illa ut metuat, de quæ rebus certissimis desperet. Causa est: quia hoc animi vitium, ut & præcedens, de quo modo dictum, mentem obscurat, voluntatem pervertit, sensus debilitat, interiores perstringit, exteriores obfuscat, spiritus commouet, corpus percellit, cogitationes inhibet, vires frangit, ingenium hebetat, motiones naturales sistit, quietem perturbat, imaginationes & phantasmata horrenda suggerit, actiones rerum honestarum tollit, omnem conatum laudabilem, siue secum viuatur ipse, siue alijs conuerfetur, homo, penitus euertit.

Scipios enim non raro in certissima præcipitant pericula,

F

alijs

alijs, si occasio sit insidiantur. Hinc diris carceribus conclusi, & catenis ligati, pane miseriarum miserando modo sustentantur. Videas, inquit Philosophus, Melancholicos homines mæstos, quibus alioqui nil accidit mali, nec ipsi mæstitiæ suæ causam possunt reddere. Nigri enim huius humoris opus est, obtenebrare spiritus, vnde hæc existunt incommoda: adimitur animo alacritas, ac obfuscatur ingenium: Suboritur odium cum hominum, tum lucis ipsius, rerumque omnium humanarum: delectatio est altius in mœrorem demergi: nec hilariora, nec consolationes, admittuntur: Id, quod Octaviæ contigit, de Marcello filio in adolescentia extincto. Hinc Cornelia Pompeij apud Lucanum:

Turpe, mori post te solo non posse dolore.

Molestiæ, inquit Tullius, me hebetarunt. Hinc Niobe in saxum, ac Hecuba in canem dicuntur conuersæ.

Contra, superbia homines inflamat æstu nocentissimo, quando ea, quæ in aliquo non insunt, sibi quis tribuit, quod omnium vitiorum deterimum. Omnia enim corporis membra corrumpit: oculos superbus habet minaces, os obtrectans, linguam dolosam, vocem arrogantem, faciem illitam, focalia ambigua, crines tortos, varia & monstrosa capitis ornamenta, vestes varijs & peregrinis coloribus, formam externam, incessum affectatum, gestum simiarum similem, sensum communem peruersum, phantasiam deprauatam, mentem contra Deum seditiosam, voluntatem ab eodem aduersam, cor tumidum, viresque omnes ad finem malum accommodatas. Huc Bion respiciens dixit, magnum omnis profectus impedimentum esse superbiam & arrogantiam. Et Seneca: multos ad sapiëntiam peruenire potuisse, nisi iam se peruenisse credidissent. Sistat enim necesse esse: qui nihil existimet restare amplius, in quod tendat: tum tanquam ad extremum pertigerit, quiescat.

Multa

Multa etiam alia, hoc vitiorum genus, mala, secum trahit. Superbi, inquit Philosophus, natura etiam sunt invidi. Ex cupidine namque præcellendi, invidia oritur: & eo magis invidet quis, qui inanius est à bonis, qui concupiscit. Hinc Cicero dicit, neminem, quo virtuti suæ confidat, invidere bonis.

Quæ iam dicta sunt, per philosophum explicatius dicuntur. Infixæ sunt inquit, superbiæ radices nostris pectoribus: quoniã ex eo amore nascitur, qui inditus est cuique ex amore sui ipsius. Is enim ut est admixtus, ignorantia excæcatur, efficitque, ut quisque sibi videatur optimus, ac proinde bonis quibuscunq; dignissimus. Quæ censura à nobis transit in eos, quos amamus tenerrime; quoniam ij alteri nos sunt.

Est ergo fons superbiæ primus, inconsideratus cuique amor sui ipsius. Quod autem manat ex inconsideratione, copiose necesse est fluere in rudes, tardos, stupidos. Nam docti, acuti, moderati, & qui in sese oculos reflectunt, probe assequuntur: nil esse, de quo mortalis ullus possit sumere spiritus.

Tanta autem sapenumero inconsiderationis caligo mentē obruit: ut superbissimus sit, qui minimas & paucissimas sui habet efferendi causas, existimans, quæ ex se habet bona singentia esse vnica & omnium præstantissima. Hinc est ostentanti bonorum suorum auiditas ardentissima, quæ sit non modo verbi, sed etiam gestibus, & totius corporis habitu.

Et quoniam quæ rara & noua, aut inusitata, & singularia sunt, propter admirationem pluris facimus; ille cuiusmodi bona alijs persuadere intendit in rebus animi, in rebus corporis, in ijs quæ sunt vitæ: etiam in sumendo cibo, vestiendo, in incessu, in rebus leuissimis, & quas nil omnino terfit, hoc vel illo modo agere & exercere. Imo etiam, in quibus periculosa est nouitas, affectat ab alijs discrepare, & ipse sibi munire viã, quæ ingrediat. Hinc inuidentiã in eos, qui vel potiora habent, vel similia.

Expetit Dei similitudinem, non quoad bonitatem: sed magnitudinem: ut se nullius indigere, multos autem ipsius,

nulli esse subditum, illi plurimos, neminem sibi benefacere, se pluribus, persuadeant. Simulant & iactant opes, potentiam, contemptum aliorum, tanquam longe imparium: non dignatur eos alloquio, non congressu. vtuntur sono vocis graui, & verbis grandib' & tragicis, irrisione, subfannatione, iurgijs, minis, vnde, insolentia dictorum & factorum oritur intolerabilis. Hinc oriuntur sectæ & factiones, citiusque mutari vellent rerum naturam quam suam assuefactionem, quam ipsi non raro falsam esse haud ignorant. Ex hoc tam prauo more, tanquam immodica sui indulgentia sit tenerrimus animus, omniumque rerū, quæ aduersæ accidunt, impatientissimus, hinc indignatio rabiosissima, & conuicia non in homines modo, sed in Deum quoque.

Quemadmodum venenata animalia, si quid ederint salubre, in venenum tamen conuertunt: ita superbus, quæcunque agit, ad honorem parandum & aurum captandum refert. Et quia vnicus & singularis esse cupit: si quem aliqua de laude commendari audit, statim sua bona profert in comparisonem tanquā potiora. Hinc Themistocles interrogatus, quænam esset auribus ipsius gratissima Musica. Oratio, inquit, de meis laudibus. Ita: mentiris, dixit quædam mulier pedisse quæ assentanti, sed places. Qua de causa Caligula cum loue, inimicitias exercere simulauit.

Quemadmodum autem homo suo ingenio nimium tribuens euadit superbus: ita si plus assumat eorum, quibus vita sustentatur, intemperans fit. Quam pestilens vitium autem intemperantia sit, notius est multorum seculorum exemplis miserrimis, quam hominis etiam eloquentissimi lingua pronunciari possit. Nullum enim malum est, siue corpus, siue animam, siue externa, consideres, quod hæc secum non afferat.

Corpus onerat, oculos obfuscet, vires frangit, memoriam perimit, iudicium hebetat, cor aufert, functiones officij inhibet.

bet, facultates absumit, immanes & feros reddit, famā adimit, morbos conciliat, dolores exquisitos parit, mortem affert, in infernum precipitat. Horum omnium exempla conspicua omnibus & singulis nota sunt. Nulla est respublica, nulla societas, nulla ciuitas, nulla vita functio: in qua intemperantes non conspiciantur.

Delicijs ex aduerso respondent varij dolores, qui ex singulis vitæ ordinibus resultant, maxime vero ex literarum studijs. Vt plurimum enim fit, vt qui animo excolendo occupantur, valetudinem frangant, cæterorumque in vita bonorum iacturam faciant. Hinc etiam tot tantæque hominum querelæ de varijs miserijs, quæ singulos fere mortales exercent & premunt. Alij redduntur tristes, alij impatientes, alij functionibus valedicunt, hominibus nocent, Deo maledicunt.

Quemadmodum autem vt hæcenus audiuius quod quando homo nimium tribuit ingenio & menti, superbus euadit: & si corpori, intemperans: ita, si plus æquo externis animum applicet, auarus fit.

Quo affectu venenoso, omni tempore exercitati fuerunt misere mortalium plurimi; & ob neglectam eius curationem, æternis malis obiecti. Multi hinc inde rerum maximarum haud imperiti, deprehenduntur, conuersari alijs humanissime & familiarissime. Quando vero ad pecunias ventum est, & vel minimum cum proximo communicandum: vel æqualis cum ipso etiam pro operis interdum iustissimis portio capienda: animi promptitudo sese prodat: vt ob æruginem leuissimam, omni societati, conjunctioni & fraternitati renuncient, & permutatione inter pecunias & salutem æternam facta, illam huic longe postponent.

Est enim cura illis rerum vitæ huius tam acris, tam intenta & vehemens: vt non possint oculos sursum attollere, sed dummodo arca prospectum sit, reliqua omnia facilia ducant: quæ virtutis & pietatis sunt, negligunt: subinde id vsurpantes, pane

& pecunijs omnia leniri. Hinc Plinius Secundus dixit nulli animantium esse libidinem habendi maiorem, quam hominem cum alioqui paucissimis indigeat.

Non dicemus hoc loco de infinitis alijs malis quæ nos in vita quotidie premunt. Ingenium hominis tardum, morbus est animi, Memoria instabilitas, in quam secundum Senecam, primum ætas inuadit: nec vllum senectutis certius signum quam memoriam labascere. Remittitur enim secundum philosophum, calor: & spiritus condensantur: id quod de filiabus Danai est in fabula. Hinc non, nisi maxima difficultate in vocatione versantur plurimi. Hinc alij in eam persuasionem adducunt hominis ingenui animum, nihil plane vel expetere, vel operari consultissimum fore. Hinc à muneribus abhorrentes, vel ijsdem renunciantes multi, in varia mala præcipitantur.

Vnicum adhuc animi morbum, qui amor dicitur, si ex Viue nostro adiecero, breuiter finem faciam. Ex congressibus, inquit, colloquijsque, amores nascuntur. Inter voluptates enim regnum exercent Venus, & Veneris puer Cupido. Istis illiciuntur, & illaqueantur humani animi, in quos impotentissime voluptas dominatur. Omitto, quæ à philosophis, quæ etiam à sanctis viris, quæ denique à cunctis sapientibus, contra cupidineum amorem dicuntur. Illa quoque taceo, quæ ab ijs scribuntur, qui amorem ex professo videntur voluisse laudare. Tyrannum illum nominant, durum, asperum, tetrum, crudelem, foedum, scelestum, execrandum, impium authorem atque impulsorem pessimorum facinorum.

Ex Aristotele, Seneca, Plutarcho. D. Hieronymus sic inquit: Amor formæ rationis obliuio est, & insanix proximus: foedum, minimeque conueniens animo sopiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit: à magnis cogitationibus ad minimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissime a-

mori

mori facit. Nam quando fruendi cupiditate insatiabili flagrat: plura tempora suspicionibus, lachrymis, conqueſtionibus, perdit: odium ſui facit, & ipſe ſibi odio eſt. Sic Hieronymus, addit Viues: Quis conſequi dicendo poſſit, quot periuria, quot fraudes, quot cædes, quot ſtrages, quas euerſiones vrbiũ, gentium, Regionum, hic amor dederit? Quid ego hic Troiam deletã narrem, propter vnam Helenam tot ibi exercitus cæſos, tantum bellum inter Lacedæmonios & Meſſenios propter raptas virgines.

Iptum quoque Lacedæmoniorum imperium ab Epaminõda Thebano, ad Leuctras Bæotias concuſſum, vindicante (vt Plutarchus ait) Scedaſigenio filias à Lacedæmonijs Iuuenib⁹ oppreſſas, & patris querimoniam à Magiſtratibus contemptã. Florentes Hiſpanias Rodericus Rex ob Cauam Iuliani Comit̃s filiam perdidit, lacerandasque ac conculcandas Mauris reliquit. Exclamat ille, quid non pòteſt aurum, Imo vero, quid non cogit ſauus amor? Mitiffimum Dauidem impulit: vt innocentem Vriam præſentibus periculis obijceret. Solomonem ſapientiſſimum Regem dementauit vſque ad Idololatriam. Simſonem debilitauit. Mædeam ad egit, fratrem lacerare, fili- os occidere. Catilinam proprium filium interimere: vt in vacuam domum Oreſtillam induceret. Sunt, quæ matres ipſæ ſuas, ex quibus erant natæ, atque educatæ, veneno ſuſtulerunt.

Meſſalina Claudij Imperatoris vxor, illo viuo nulla diuortij mentione facta, publice media luce Romæ Caio Silio nuberauſa eſt. Nec in vllis tigribus, leonibus, lupis, vrfis, talis annotari poteſt furor.

Quod ſi quis hunc tam immanem affectum & atrocem oculis corporis poſſet cernere: nõ ſecus terreretur ac cohorreſceret: quam ſi ſubito truculentiffima occurreret bellua. Tum quam longiſſime ſe territus abriperet. Atrox enim venenum eſt, quod luminibus nos orbat, & excæcos per mille abrupta per totidem præcipitia, trahit, raptatque: & plarun- que in exitiabilem

abilem voraginem deuoluit. Nullum adeo est vel inhumanum & immane facinus, vel inusitatum, vel inauditum: quod non suscipiamus, si in hoc amoris parendum, aut gratificandum, sit: fraudare amicos, occidere consanguineos, iugulare parentes, trucidare quos pepereris: leuia sunt in gratiam amoris. Nec illi grauia, à stirpe patriam, regionem, genus hominum, excindere. Quæ inter hæc memoria sancti, pijs, æqui: Deus & Religio, bona mens, nugæ omnia.

Exijs quæ iam dicta sunt, satis manifeste conspici existimo, quomodo morbi animi sæuissimi se habeant, quæ vero ratione illis occurrendum sit, paucis & breuiter explicabimus.

Ad excitandam in hominis ingenui animo pietatem ac vitæ innocentiam, plurima sunt, quæ impellere possunt: Documento nobis sint, quæ supra commemorauimus, Dei optimi nostri beneficia maxima. Excitent hominem Christianum utilitates, quæ in ipsum redundant incredibiles; adigant ipsum poenæ inuitabiles.

De Circe scribitur, ipsam pharmacum habuisse, quod humanæ faciei ac naturæ redderet: sed & ipsa eadē, pharmaco alio ex hominibus bestias fecerat. At vere impietas hominem in belluam mutat: conuertit rursus in homines pietas. De poenis vero ita Plato habet: Deus, ô viri Athenienses, sicut antiquus quoque sermo testatur, principium, finem & media rerum omnium continēs, recta peragit, secundum naturam circuiēs. Hunc semper iudicium sequitur, eos, qui à diuina lege descuerint, puniens. Cui quidem iudicio quicumque foelix futurus est, adhærens, humilis subsequitur atque compositus. Qui vero superbia elatus est, quod pecunia vel honoribus antecellat, vel corporis forma polleat, quasi alijs opus non habeat: is penitus à Deo deferitur. Desertus autem breui inculpabili Deo iudicio, se ipsum, domum & ciuitatem vniuersam euertit. Hactenus Plato.

Quoniam vero nobis Christianis præ omnibus alijs populis,

A CAUSIS INTERNIS.

49

pulis per summam DEI clementiam reuelatus est in verbo verus & sincerus DEI cultus ille inuiolatus retinendus: tanquam preciosissimum *κεφάλαιον* custodiendus, sedulo exercendus, gratæque mentis significationes DEO nostro vt & supra attigimus, quotidianæ ac horariæ agenda sunt.

Quod si cæci gentiles tanto studio & zelo prædicandis encomijs Idolorum (quod etiam num hodie plerique extra veram Ecclesiam faciunt) elaborarunt, quanto magis nobis Christianis id summa cum attentione faciendum est.

Deinde eo, quo fieri potest labore enitendum, vt pietate & vitæ sanctimonia, alij ad agnitionem Dei veram inuitentur: & abiecta superstitione nobiscum ad montem Domini ascendant & æternæ salutis rationes percipiant. Qua in parte captanda sunt occasiones vt more Apostolico, omnia fiamus omnibus vt Christo adducamur.

In corrigendis & reprimendis affectibus violentioribus (vt in omni vitio domando) magna opera & cura indefessa, infumenda est secundum Philosophum. Quemadmodum enim circuli medium inuenire non est cuiusuis: sed periti: ita affectus secundum mediocritatem auream componere, non est nisi virtute præditi. Irasci quis potest; & facile largiri pecunias: cui autem, quantum, quando, qua de causa, quoque modo, nec cuiusuis est nec facile. Obseruandum autem est quemadmodum etiam Calypso monebat; procul à fumo tegas vndisque carinam: vt ab illo affectu ex quo plurimum mali in nos aliosque emergere potest, quam studiosissime caueamus, & in contrarium niti conemur: id quia ipso accessu & perturbatione, difficile est, ante correptionem subducenda ratio, & obfirmandus pro illa parte animus. Et quoniam hoc ipsum difficile est neque sine magna industria fieri potest, vt hospites tam irrequietos animo excutiamus, secundo inquit cursu nauigandum est, hoc est, faciendum est, quantum possibile. Satijs enim fuerit vel minimum conari, quam nihil.

G

Deinde

Deinde mente reputandum ad quos affectus & vitia naturā, (semina enim sequitur naturā quidq; suā:) Sunt quidam natura iracundi, quidam voluptuarii, quidam versipelles: (vt in septimo prolixè explicat Philosophus,) simus præcæteris procliuēs (id quod ex voluptate & dolore, quæ ex functionibus nostris percipiuntur manifestum erit) quo deprehensio in contrariam partem affectum deducere debemus.

Longe enim à peccato abducti, rectius agimus: ad exemplum eorum, qui ligna contorta in rectum dirigunt. Tum in omni negotio voluptas est cauenda diligentissime. Trahit enim suā quemque voluptas. Ea (inquit Philosophus) facit, vt iudicium corrumpatur, nec sincere de rebus existimare possimus. Affectos nos esse decet erga animi perturbationes: quemadmodum senes illi Troiani, in quorum conspectum cum esset producta Helena: dignam quidem ipsam dixerunt propter formam ob quam bellum decennale susciperetur: sed tamen Græcis restituendam esse. Hac ratione inquit minus aberrabimus. Hactenus Philosophus.

Cæterorum qui affectu perciti adsunt, officium est non addere oleum igni: Sed quibuscunque possunt rationibus, fluctus æstuantis cohibere. Quemadmodū scribitur de Timotheo Milesio ipsum modulis suis in Alexandrū immississe affectus, alias incitasse torpentem, alias incitatum atque adeo furentē reuocasse. Fama est, & Empedoclem Agrigentinum cantuncula furibundum adolescentem nudoque ferro hospitem impetentem compressisse atque sedasse.

Hinc & Poætæ fingunt Apollinem certis quibusdam cytharædicis nomis à se inuentis vitam multis mortalibus produxisse feritatemque abstulisse. Mentem etiam oportet in possessionem reduci. Hac enim aliter atque aliter edocta atque instituta mutantur affectus augmento & decremento, vel tolluntur prorsus, atque in aliorum vim & quasi ius concedunt. Elaborandum autem omnibus est, vt mens

sana.

sana habitet in corpore sano. Male enim corpore affecto: reliqua omnia, copia, opes, potentia, nil plane sunt.

Quaruntur ingenti opera corporis quamplurima oblectamenta. At illis frui non licet, nisi corpore sano. Quaruntur animi: nec his, nisi animo sano. Nam tum demum sentiemus, vnumquodque illorum, quantum in se habeat voluptatis, cum sensus, cumque mens, iudex illius viuens, syncerus & purus, diiudicat inter illud & aduersum.

Quod si magno negotio, multa cura, per tot pericula, per mortem etiam diuitiarum, opes, copia, voluptates, aliaque eius generis, tantum non innumera, ut delectemur, quaruntur: quis inficietur, requirendam prius, parandam retinendamque maiorem etiam labore, sanitatem animi. Qua praediti magno tum animo atque excelsa, quaecunque vanis mortalibus inania afferunt gaudia, despiciemus.

In specie vero pro exstirpanda maleuolentia philosophi nostri varia praescribunt praecepta. Languescere dicunt illam facilitatis excellentiam, quae aequalitatem tollit: sicut in fortuna Alexandri, quae odisse poterant multi, inuidere nemo. Opprimi enim magnitudine non aliter, ac fumo ingentem flammam, cuius exemplum Hadrianus Caesar qui quando nactus est principatum, obuius dixit aemulo, se periculum euasisse. Retundit etiam contemptus: quod Dionysio contigit inferiori: cum deuolutus Tyrannide, abiecta Corinthi versaretur.

Verum illis omnibus suo loco relictis, hoc apud nos incogitationem veniat seriam: quod Inuidia omnis a flexuoso serpente diro Cacadamone, prouenit, qui illam per astutiam incredibilem in mundum inuexit. Huic nisi similes fieri, ac conditionis, & poenarum eius participes reddi nos volumus: ab Inuidia, ceterisque illis inhumanis affectibus, abstinendum est. Nouit sapientissimus Deus distribuere tantum singulis, quantum ad salutem aeternam sufficit. Certum enim est a Deo singulis singula & peculiaria, quibus ceteri carent, dona proportionem non adeo inaequalia concedi. G 2 Ira-

Iracundiam vt francinus: plurimæ æque validissimæ sunt cause. Mouebit nos turpitudine, & incommoda maxima, quæ ab iracundia matre in lucem prodeunt.

Et quoniam secundum Plinium, nulli animantium pa-
nor confusior, quam homini: subinde excitandi sunt Melan-
cholici: vt excusso animi mœrore quod de Hannibale Liuius,
& de Iugurtha Salustius, memoriæ tradunt, animo sint erecto
& forti: precibusque ad Deum insistent, ac crebrius alijs, qui con-
fidentiores sunt animo, conuersentur: atque de rebus lætis & sa-
lutaribus conferant.

Superbiæ medicinam supra commemorauimus. Viuis
tamen sententiam hoc loco ponere, non superuacaneum fue-
rit. Age inquit, donemus te aliquid scire, aut possidere, cer-
tum atque exploratum: an ignoras, te alieni hoc habere bene-
ficij? Cur tibi accommodata vestis facit animos? si quid ha-
bes boni, alienum est: si quid mali, id vero est tuum vnus.
Vides te creditum, munus Dei est, cui displices, nisi quam inde
gloriam nancisceris, in illum referas. Agnoscat sapiens, cuius
sit sapientia, illique vni referat acceptam, à quo velut fiducia-
riam possidet: nec sistat in se quod est periculosissimum: nec o-
culos dei ciat in terram, vt honore illo ab hominibus tributo,
sibi applaudit ipse, tanquam opera & merito suo consequutus,
quod est manum suam ipsius osculari, iniquitas maxima, quæ
admodum Iobus ait, & negatio contra Deum altissimum.

Quatuor rebus constat creditio: ingenio, iudicio, memo-
ria, studio. Tria prima cedo vnde habes? Nunquid non
ex Deo? si quæ est docti laus, de postremo petitur, quæ res infi-
ma est & omnium leuissima. Quid quod ad eam ipsam adiutus
es constitutione corporis non graui, nec torpida, tum etiam
valetudine, quæ Dei sunt dona.

Quid ergo docti superest proprium quo gloriari possit?
an quod voluit? At quam multi vellent, si tam eis per benigni-
tatem liceret, quam tibi. Itaque inter laudationes sui erigat
se vir.

A CAUSIS INTERNIS.

se vir sapiens ad contemplationes sanctæ illius & diuinæ sapi-
tiæ, ad cuius infimum, vt Paulus inquit, humana omnia com-
parata mera sunt dementia. Adoret demisso animo autho-
rem bonorum omnium: & agat gratias quod munera sua co-
piosius dignatus est ipsi, quam alijs. Nullus sit tanta eruditio-
ne vir, & rerum peritia præditus vt putet Deum indigere ipso
ad effectum consilij sui.

Solutissimæ est arrogantiæ, existimare te aliud posse præ-
stare, quod nullus alius possit, si eodem applicet animum. Non
magis Deus instrumentis indiget ullis, quam luto ad aperien-
dos cæci oculos. Ex lapidibus potest suscitare filios Abrahæ.

Item superbiam nobis dissuadeant exempla grauissima eo-
rum, qui extremas dederunt pœnas. Hic enim fuit plerisque
aditus euertendis regnis: hic familijs, patrimonijs, magnis de-
nique pergentes omnes acerbissimis periculis & calamita-
tibus.

Ad patientiam præter alia nos excitet conditio vitæ huma-
næ: cum parui referat, Christiani hominis tam exiguum atque
incertum vitæ curriculum decurrat, decurrat modo: vt metam,
quo contendit, possit pertingere exoptatam. Viatores vide-
mus paulo prudentiores ac moderatiores, vitæ omnes molestias,
& visu ac perpeßu indignissima siue in diuersorijs siue in via
ipsa tacitos præterire ac deuorare: in id modo spectantes & in-
tentos, quo profectiorem destinarunt, cultu modico ac inter-
dum sordido splendore illo atque dignitate deposita, quæ sunt
in patria. Ferunt excludi se, extrudi, non haberi honestissimis
hominibus honorem, tractari se, vt famulos, illam aduersum
se exerceri petulantia cuius sunt ipsi domi coërcitores ac puni-
tores. Quid eos, qui aliena in regione negotiantur, siquid acci-
dat illis, vel à priuatis grauius, vel à Rege, vel à solo, vel à coelo?
quomodo aspicimus concoquere ac pati & quasi in statione
perdurare; ne lucri spes abruptatur? Quæ Germaniæ rigora
tolerant Itali & Hispani? Quos Egypti & Africa ardore, Ger-
mani

mani & Galli? quæ tributa, indiſtiones, contumelias & Inter-
dum plagas, omnes mollit ac condulcorat ſpes rei augendæ;
Quid milites perferunt in caſtris ob vilem ſtipem? quid athletæ
propter victoriam? quid venatores propter occidendam ferâ?
At vero quod nos, qui Reges cœlorum ſumus, in cura rerum
præſentium ita immoramur, an non aperte declaramus, non
ita animum noſtrum ſpe aliqua duci præmij, vt illorum? Alio-
qui quanto minus, quam illi, de quibus dixi, hæc præſentia ſen-
tiremus, occupati atque intenti in eam vitam, quæ immortalis
eſt poſt hanc mortalem futura.

Ne auaritiâ nos tradamus: moneant nos, quod omniũ re-
rum naturalium cupiditates, terminum habent aliquem. Eo-
rum vero, quæ nos excogitauimus, nulla eſt meta, nullus mo-
dus: velut diuitiarum, opum, honorum, potestatiæ, gloriæ. Quod
non ex illorum contingit ingenio: ſed ex falſa noſtra de illis ex-
iſtimatione. Nos enim illa inuenimus ad tranquille, placi-
de, & beate vitam degendam, illa vero tum, quod animum nõ
attingũt, idcirco nec iuuare poſſunt, tum quod, vt maxime ap-
plicentur, leuia ſunt, inania, nec tantam animi profunditatem
explere valent: tantum abeſt vt nos beatos efficiant: vt ani-
mus in illis tum excogitandis, tum parandis, tum etiam tuen-
dis, incredibiles miſerias ſubeat. Nam incitata ſemel vanis
iudicijs auaritia atque ambitio, exeunt in immenſum. Ita enim
reputat apud ſe animus, ſi vel pecuniam vel honorem, quem
expetit, nanciſcatur, iucundiſſime ſe ac beatiſſime victurũ. Na-
ctus autem, eodem ſe loco videt conſiſtere, ac non raro etiam
peiore: neque illuc mittit cogitationem, res ipſas non poſſe id
natura ſua præſtare, quod ipſe ab eis poſtulat, ſed vitium in rei
magnitudinem tranſfert, quod nondum ſit tantũ conſequu-
tus, quantum ſatis ſit: vt voti fiat compoſ.

Quare ad alia acquirenda ſe accingit: quæ adeptus, eodẽ
errore inuoluitur.

Memoria vero, cæteriſque animi internis dotibus pluri-
mum

A CAUSIS INTERNIS

num confert naturalis contemperatio corporis, quasi fuisse peditos illos credibile est, quorum magnitudo memorię munimentis, celebratur Themistocles, Cyrus, Cyneus, Hortensius. Adiunatur tota ratione victus, cibis, potionibus, exercitationibus, quiete, somno moderatis, & ad facultatis illius instrumenta accommodatis.

Nec rebus nostris consultum est, si ob functionis molestias & asperitates ocio nos tradere cogitemus. Grauiissimum enim & ipsum est onus, quod varia, hominum generi, omni tempore intulit mala. Ipsi naturę repugnat, cum ad certa obeunda munia tam bruta, quam homines conditi sint.

De amore dicturus Socrates in Phædro Platonis, faciem pallio operuit, tanquam in argumento versaretur parum se digno. Magna enim inquit Philosophus, est opus arte ad cohibendam belluam hanc, tam multiformem, & multipitem. Minuitur autem amor ab initio haud magno negotio: ideo amorum Magister principiis monet obstare.

Et in Tragœdia quisquis primo obstitit, pepulitque amorem, tutus ac victor fuit. Et sicut valida ac crebra cogitatione augetur: ita auersione animi aliorum deteritur. Conducit etiam plurimum adolescentem alio transferri. Remotis enim causis ardoris, ignis eo facilius exstinguitur. Si nullus, inquit Philosophus, te virtutis, nullus probitatis, nullus pudicię aut religionis, respectus, mouet; si nulla sanctorum hominum reuocant acta & exempla, miserorum iuuenum casus flectant, qui te indubij manent, si eandem, quam illi, viam insistas.

Fallet te Amasia, vel quia solita est fallere, vel quia hoc est præmium amoris, vel quia id suadet voluptatis satietas.

Præterea amorem, nec victus ratio gignat, aut alat, nec ocium, nec conuersatio cum foeminis. Apud Lucianum Sophistam, quarit ex Cupidine mater Venus, cur, cum Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, se etiam matrem, denique Deos omnes iaculis suis confingeret, Mineruę, ac Musis, & Dianę, ma-

hæ, manum non admoliatur? Minerua, inquit ille, mihi venienti comminatur, hæc occasionibus fit obuiam & resistit. Musæ vero reuerendæ sunt, & semper honestis exercitijs occupatæ, ac maiestate sua, & negotij intentione, ab amore se vindicant. Diana in siluis & solitudinibus errat, & amorem non haurit consuetudine.

Multum enim amoris sensim se insinuat, quod postea teneris cogitationibus, alitur & excrescit. Reputetur etiam cum animis, quam multa per amorem fiant stulta, cæca, sine mente, sine sensu: quantum boni & aurei temporis in ea Iuuenis inutilibus & stultis curis, insumperit, in quo amiserit occasiones rerum optimarum, ac hominum denique Deique iram, in se deriuarit. Hactenus Philosophus.

Annorauit Augustinus, quod Apostolus Paulus de cæteris vitijs dixerit, Resistite: de libidine autem & amore: fugite. Contra libidinis & amoris impetum: apprehende fugam. Si vis obtinere victoriam fugiendum est: quoniam grauissimos temperantia sortita est inimicos. Miseranda & plangenda Intemperantiæ conditio: vbi cito præterit, quod delectat, & permanet sine fine, quod cruciat. Sub momẽto enim libidinis impetus transit, & permanet sine termino, animæ infelicitis opprobrium. Sic Augustinus.

Qui sanus est hæc reputans, non dat operam vt in hanc mentis phrænetidem, cæcitatemque ad omnia, nunquam incidat: nimirum dignus is est, qui perpetuo illa teneatur, nec inueniat suorum malorum finem aut modum: sed agitetur diebus ac noctibus faccilla Cupidinis, nec cibum sumat, nec dormiat, nec videat, nec quiescat, & cum sit homo, nullo tamen humano munere fungatur.

Ex hactenus dictis animaduertendum est, quod animi morbis (dixi autem de præcipuis tantum) obiecti simus, quæ ratione & sapientiæ studio, obuiam ire oporteat. Hæc enim ratione tranquillitatem nostras in mentes adducemus tantam:

A CAUSIS INTERNIS.

tantam: ut nulla posthac agitari affectuum, ceterorumque animi morborum, procella possint. nulla vi de loco illo quietissimo dimoueri, nullo fortunæ ictu, placidissima queat turbari pax: viuemus læti, viuemus securi.

Quæ profecto aut in externis nulla est, aut hæc vna est, bene beateque viuendi, norma. Quod vniuersum genus hominum semper in ore habet, omnibus, omni tempore expetit votis, ratio & via quæ ad illam ducit vitam, longe melior quam ceterorum mortalium est. Eant nunc alij, & suas titillantes vniuersas voluptates cum minimo ex virtutis momentis, sapientis vitæ conferant oblectamento, dicant opes vitæ humanæ vtiliores esse cum absque illis melius viueretur: sine sapientiæ dogmatibus, ne viui quidem possit. Afferant homini aliud quicquam sapientiæ studijs necessarium esse: cum sine cæteris rebus, extra hominem homo equidem sit semper, absque sapientia fera sit, non homo.

Et dubitat quisque in hac sapientia, in hoc tanto bono, quo amplius, quo præstantius, quo excelsius, dari inter externa non poterat, totam impendere ætatem, quam non possit vere consumptam & contritam dicere: sed ad fanus ingens mutuatam. Estne aliquis, cum hæc videat, qui non malit cum hac paucissimos viuere dies, quàm sine ipsa diutissime, magnis aliis qui comitatus opibus magnaue potentia: cum sit vnus dies bene & ex præceptis huius actus, toti etiam peccanti, immortalitati anteponendus.

Ad eum modum, cum præsentis Candidati vitam & mores componere conati sint, eruditionem non contemnendam sibi compararunt. Quo nomine Præceptores ipsorum, publicos Magisterij honores, ipsis, hoc tempore, tribuere decreuerunt: id quod ego per muneris commissi rationes faciam: si prius, quæ peragenda sunt, absoluero.

Principio te (Reuerende & Clarissime vir, D. Iacobe Heerbrande, sacrosanctæ Theologiæ Doctor & Professor eminentissime,

H

tissime,

tissime, Ecclesiæ Præpositæ & Acad. Cancellariæ dignissime) etiam atque etiam rogamus: vt pro beneuolentiâ, quâ Dignitas Tua, hætenus semper humanitatis studia, Collegium, adeoque totum ordinem nostrum, est complexa (id quod vel cumprimis ex eo manifestum est, quod D. T. proxime Candidatos præsentés ad Examen publicum admisit) iam quoque mihi potestatem concedat, prædictis iuuenibus viginti duobus honores Magisterij conferendi. Deuinciet D. T. illo benefactio Candidatos omnes arctissime, eosque per vitæ tempus ad quauis obsequia paratos deprehendet.

Nomina Candidatorum Magisterij.

1. Albertus Kuhen Leonbergensis.
2. Georgius Pfulz Velbachensis.
3. Nicolaus Macclerus Mompelgartensis.
4. Hugo Bellicus Mompelgartensis.
5. Ioan: Iacobus Rebe Stutgardianus.
6. Ioan: Iacobus Nordlinger Stutgardianus.
7. Hieronymus Kelz Lauffensis.
8. Ioan: Iacobus Heerbrandt Syndelfingenensis.
9. Nicodemus Sitzlin Vimenis.
10. Philip. Albertus Hala Francofurtensis.
11. Conradus Leus Crailshaimensis.
12. Ioannes Müller Hailpronnensis.
13. Christophorus Haller Ratisbonensis.
14. Ioan: Conradus Synapius Schuunphurdianus.
15. Hieronymus Kneilin Augustanus.
16. Ioan: Sigismundus Spreng Kirchenensis.
17. Henricus Brasperger VVilenis.
18. Alexander Lutz Lutschnauiensis.
19. Ioannes Feldner VVilenzheimensis.
20. Iacobus Sorg Stutgardianus.
21. Georgius Speiser Ebingenensis.
22. Iohannes Bergschneider Horburgensis.

ORATIO

ORATIO CANCELLARII.

Illustrissimi Principes, Domini Clementissimi, Magnifice Domine Rector, Corona vndiquaq; ornatissima, studiosa iuuentus. Hoc anno, singulari diuina benedictione prouenit messis, in agris, adeo copiosa vt annonę pretium magna ex parte decreuerit, & sit imminutum: ppter hunc fælicem frugum huius anni prouentum, & vulgus, quod dira fame propter pretij magnitudinem laborauit, iam vero tolerabili pretio comparari possit, lætatur.

Similiter & pomorum & fructuum qui ex ligno duro in magna copia nascuntur, hoc anno, vt rami frangantur, nisi fulcris sustententur, messis mira quędam sunt & speciosa, tanta varietate, diuerso colore, odore, sapore, homines exhilararunt. In primis autem spes vindemię nō est exigua, qua lætantur omnes vino letificante cor hominis, vt psaltes cecinit. Sed paulum auertamus oculos ab agris, nosque à rure conuertamus ad nostram agriculturam, præsensque intueamur spectaculum, & videbimus messem pulcherrimam, & optimam, Scholasticam appellare libet, quæ non minor est hac æstate, nec

H 2 minus

minus fertilis, quam rustica ista agricolarum; quam metunt bonarum artium & philosophiæ professores, qui iuuentutis ingenia, per totos annos excolunt, instillantes bonum semen teneris animis & ingenijs, præcepta honestarum & bonarum artium, ac disciplinarum, linguarum, atque Philosophiæ. Vnde fructus suorum laborum demetant vberrimos, nempe bene moratos, eruditos, honestos iuuenes, & ita vident labores suos non esse irritos in Domino, sed fructum afferre plurimum, Philosophicos dico honores. Percipiunt ex hac messe Scholastica fructus optimos & præstantissimos, et ipsi studiosi, eruditionem, honores, qui testimonia sunt virtutum & eruditionis. Ex hac messe percipiunt fructus vberrimos magna cum voluptate, parentes ipsorum, & propinqui, amici, patroni, quorum aucti sunt honores. Hinc progressus ad altiora studia, quibus olim præsidio erunt patriæ, & familiæ nouum inferentes splendorem. Ideoque omnium digni sunt fauore, qui laudabiles in studijs faciunt progressus.

Quorum è numero hosce 22. Magisterij philosophici Candidatos, cum ipse intelligam, eorūque nomine, Decanus cum collegio Philosophico me interpellent, vt copiam, potestatemque
ipsis

ipsis faciam, conferendi eis gradum, titulum, & honores Magisterij philosophici: Authoritate igitur ordinaria, qua fungor & publica, tibi M. Vito Mullero Collegij philosophici Decano ius potestatemque tribuo, titulum, honores & gradum Magisterij philosophici, his viginti duobus, pijs, doctis, honestisque iuuenibus conferendi. Qui quidem honores, vt ad gloriam nominis Diuini illustrandam, & ipsorum & multorum aliorum salutem ac emolumentum cedant: Deum Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ex animo precor, vt eorum studia & actiones Spiritus S. regat & dirigat in tota vita & omnibus actionibus eorum, vt sibi & multis alijs salutaria faciant, AMEN.

Quoniam, quæ à dignissimo D. Cancellario petijmus, impetrauimus (pro quibus Dig. ipsius, gratias, quas possumus, habemus) ad id, cuius causa conuentus hic indictus est, me recipiam: si modo Domini Candidati, vſitato secundum statuta Academica, iuramento, sese obligauerint: quod recitabit Dominus Notarius.

Hic recitatur Iuramentum.

Initio in nomine Dei optimi nostri pro potestate, quæ & hac vice mihi tradita est, vobiscum, honesti iuuenes, honores in ordine nostro summos, communico: ac Linguarum, artium liberalium, & Philosophiæ, Magistros, pronuncio & designo: hac addita commonitione operam impendatis diligentissimam.

simam. vt illis ad Dei gloriam, & Ecclesiæ incrementum, semper vtamini. Quæ ratione vobis ipsis, omnibus vestris totique Reipublicæ Christianæ honori & commodo eritis.

Deinde, vobis omnia studij nostri priuilegia concedo. Licet vobis ad munus certum vocatis adscendere eiusmodi Cathedram honestissimam, ac Linguas, cum artibus & Philosophia, profiteri.

In cuius rei testimonium libros vobis adperio.

Librorum in omni disciplinarum genere maxima est dignitas & vtilitas. Quæ enim ingenij viribus per decursum multorum annorum magno labore & industria excogitata sunt: illa volumine vno includi possunt.

Cæterorum artificum singuli instrumenta sua ardentè amant: multo magis ametur vobis librorum supellex. Horum enim ope quam plurimis, siue vno in loco, siue in diuersis sint prodesse possunt: quemadmodum Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque Philosophorum libri nobis conducunt, quamuis illi primum in Græcia scripti sint.

Et quoniam memoria hominis, ætate decrescit: id, quod memoriæ deest, librorum adminiculo & ministerio, compensari potest. Libri enim non ita, vt vox in aëre, euanescent: sed permanent.

Eam ob causam Ptolomæus Ægypti Rex maximis sumptibus (id quod & hodie Magnates faciunt) Bibliothecam adornari curauit.

Deinde digitis vestris ingero aureos annulos.

Aurum est metallum præstantissimum & sincerissimum. Ita decet mentem vestram, quæ in homine præstantissimum dicitur & est, ab omni affectu improbo & impetuoso esse liberam & puram: ne vel aliquid impietatis, superstitionis, malevolentiae, iracundiae diræ, superbiae, intemperantiae, auaritiæ, turpis amoris, & ignauiae ipsi sit commixtum.

Ea

A CAUSIS INTERNIS.

Ea ratione enim vt audiuius antea, in varias difficultates, & calamitates vos precipitaretis: externorum, corporis & anima, iacturam faceretis.

Deinde, quemadmodum aurum, vtcunque igne exerceatur, de nobilitate nil remittit, nec cedit: ita decet animos vestros obfirmatos & paratos esse ad quosuis, etiam asperrimos rerum & casuum quorumlibet euentus: ne doloribus fracti, ad turpes actiones delabantur.

Capitibus vestris etiam pileos, qui sunt libertatis signa, impono.

Libertate veteres nil existimarunt antiquius: pro ea depugnauerunt, & ea quæ habuerunt chara in discrimen vocarunt.

Ita & vos decet esse, non res mancipi: sed liberos homines.

Liberi autem eritis tum, quando à vitijs omnibus abhorrebitis, affectus frenabitis: ne vobis quod multis hominibus accidit, vt dictum est, dominantur, & ad res inhonestas deducant.

Hinc sequitur vt quemadmodum Pilei sunt honoris testimonium: ita vos quoque laudem & honorem in virtutum actionibus consequamini.

Tandem vero in Censorio illo nouissimo die vere liberi Regesque cœlestes à Christo pronuntiabimini: id quod vobis omnibus largiatur Deus æternus. AMEN.

Eruditionis suæ specimen edat primus ordine, hunc sequantur reliqui.

Gratia-